



1764,1 5
DISVISITIO QVAESTIONIS
NUM PRAESCRIPTIO SIT
I V R I S
NATVRALIS VEL GENTIVM
NEC NE,
SED MERE CIVILIS?

QVAM
DISSERTATIONIS INAVGVRALIS
LOCO, EX INDVLTV
ILLVSTRIS IVRIS CONSVLTORVM ORDINIS,
P R A E S I D E
VIRO GENEROSISSIMO ATQVE CONSVLTISSIMO
D O M I N O
SIEGFRIED CAESO AB AEMINGA
I. V. D. ET PROFESSORE ORDIN. REG. CONSIST. DIRECT.
FACVLT. IVR. SENIORE, ET H. T. DECANO
PATRONO ATQVE FAVTORE SVO SVMMOPERE
D E V E N E R A N D O
P R O L I C E N T I A
SVMMOS IN VIROQVE IVRE CAPESSENDI HONORES
DIE XXVI. M. OCTOBR. MDCC LXIII.
IN AVDITORIO MAIORI
PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTET
IACOBVS FRIDERICVS RÖNNBERG
PARCHIMO MEGAPOLITANVS.

GRYPHISWALDIAE
LITTERIS A. F. RÖSE.

DISPOSITIO QUÆSTIONIS
NVM. FRÆSCRITTO SIT
I V R I S
NATURALIS VBI GENTIVM
SVD NERE CIVISS

DISSERTATIONIS IN NATURALI
ILLVSTRIS IRE CONSVI FORM ORDINE
VRO GENTROS
SICUTI
I V D T PROFESSOR
RACVITVR
PATERO
SVMOS IN VROOVE IURE GAVSERRIDI HONORIS
DIE XPTI 25 OCTOBR 1802
IN AVCHPOTI MAIORI
IACOBO FRIEDRICH SCHMIDT
IACOBUS FRIEDRICH SCHMIDT
IACOBUS FRIEDRICH SCHMIDT
LITTERIS





CAPVT. I.
SISTENS:
PRAECOGNOSCENDA,
DE
NONNVLIS ET QVIDEM POTISSIMIS
ACQVIRENDI MODIS IVRE NATVRALI
HAVD ILLICITIS.


§. I.
RATIO INSTITVTI.



Prius nonnulla de modis acquirendi iure naturali permissivis in medium proferre liceat, quam ipsam nostram ingrediamur dissertationem. Sunt qui acquisitionem per praescriptionem modis acquirendi, iure naturae haud interdictis, annumerant; et ea ex ratione nobis haecce quaedam enunciata de modis acquirendi iuris naturalis nostrae dissertationi apta atque idonea esse videntur.

A

§. 2.



§. 2.

METHODVS COGITANDI.

Ordinem cogitationis nostrum quod attinet, eam eligimus methodum, quam vulgo vocant scientificam; et eo lubentius, quo enim clarius et ab omni ambiguitate atque obscuritate alienae res pertractandae atque describendae ordine redduntur demonstratiuo.

§. 3.

QVID ACQVIRERE?

QVID MODVS ACQVIRENDI?

His in Praecognoscendis agere apud nos constituimus, quid quid sit, de modis acquirendi iure naturali permissuis; quaeritur ergo, quid est modus acquirendi? Duo in hac quaestione latent disquisitione digna, et idea $\tau\acute{\epsilon}$ *acquirere* et idea $\tau\acute{\epsilon}$ *modi*, quae enim nobis sunt eruenda definiendaque. *Acquirere* igitur denotat, rem a nobis diuersam in $\tau\acute{\epsilon}$ nostrum transferre. Illa autem actio, seu factum per quod aliquid in $\tau\acute{\epsilon}$ nostrum transferimus dicitur *modus*. Hasce si combinamus ideas, habemus notionem modi acquirendi, qui sic se habet: *modus acquirendi est actio, vi cuius rem a nobis diuersam in $\tau\acute{\epsilon}$ nostrum transferimus.*

§. 4.

CVR RES QVAS ACQVIRERE VOLVMS A NOBIS
DIVERSAE ESSE DEBENT.

Res autem modo acquirendi in $\tau\acute{\epsilon}$ nostrum transferre quam volumus, a nobis ea ex causa diuersa esse debet, id est,
ita

ita esse sit comparata, necesse est, vt neque ex nostra natura possit concipi, cur haec nec potius alia res in nostro, nec potius in alieno existat domino, et secundo, cur in hac et non in alia re nos et non alii ius habeant a): quia, hoc si non esset, res, a nobis acquirendae, non pertinerent, ad τὸ nostrum *acquistum* sed potissimum ad τὸ nostrum connatum.

§. 5.

Q V I D T I T V L V S.

Modus acquirendi, aut si maui, factum per quod rem a nobis diuersam in τὸ nostrum transferrimus, habere etiam debet rationem huius acquisitionis.* Ratio huius facti si adest, dicitur *Titulus*. Nullus ergo modus acquirendi nisi praeuio titulo, seu praecedente ratione potest existere.

C O R O L L A R I V M.

Per rationem hic intelligimus sensu *Dariesiano* id quod efficit vt aliquid sit ita nec aliter: et quod perinde est, sententia *Wolfiana* id vnde intelligitur cur aliquid sit b).

§. 6.

T I T V L V S I V S T V S T I T V L V S I N I V S T V S.

Ratio est id, vnde intelligitur cur aliquid sit (Corall. praeced. §.). Si igitur nil amplius requiritur ex quo cognosci debet cur quid sit, rationis sufficientis habemus notionem. Postulantur autem praeter id, quod adest, plura e quibus manifestum

a) Perill. Daries I. N. §. 459.

b) 56. Onthol. latin.



stum ut aliquid fiat, ratio omnino est insufficientis. Combinatio ideam rationis sufficientis et insufficientis inter et ideam tituli, dat nobis *Tituli iusti et iniusti* notionem. Ratio enim facti per quod acquirimus est Titulus (§. praeced.) haecce ratio est vel sufficientis vel insufficientis: si prius titulus *iusti* nomen accipit; sin autem posterius titulus audit *iniustus*.

§. 7.

MODVS ACQUIRENDI ORIGINARIVS ET
DERIVATIVVS.

De finimus titulum et definimus modum acquirendi: nunc huncce modum acquirendi magis magisque determinemus, nostrum erit. Per regulas logicas de arte enim determinandi, summum, seu primum ponamus necesse est, inquirere si velimus inferiora. Vi itaque huius regulae ponamus A. de hoc A quis habet ius, id est alios excludere potest ab illo A vel non; si posterius est A *res nullius scilicet iuris*. Priori casu, vel tantum ius excludendi habet, vel cum hoc iure excludendi alios, simul coniunctam habet facultatem de illo A suo pro arbitrio disponendi. Prima determinatio adscribit A notionem *rei iacentis* id est, A fit in relatione ad eum iacens qui, in ruitu illius A, habet ius alios ab illo excludendi; secunda autem determinatio inuoluit notionem *dominii*. Acquirimus igitur per factum rem a nobis diuersam quae est nullius, dicitur id factum *modus acquirendi originarius*. Acquirimus autem rem a nobis diuersam de qua antea quis habet ius suo pro arbitrio disponendi id est, cuius dominium antea aliquis habuit, modum huncce acquirendi nominemus necesse est *deriuatiuum*,

CO.



COROLARIUM I.
ET REM IACENTEM ORIGINARIE ET DERIVATIVE ACQVIRERE POSSVMVS.

Res de qua cui competit ius alios ab illa excludendi dicitur iacens (§. 7.) seu res in relatione ad eum, illud qui habet ius alios excludendi, iacens. Haec res iacens antea fuit in dominio vel non, acquirimus rem iacentem antea quae non fuit in dominio, dicitur et hic *modus acquirendi originarius*. Si autem res iacens antea fuit in dominio, fuit acquisitio per *modum acquisitionis derivatiuum*.

COROLARIUM II.

Titulus est ratio modi acquirendi, seu facti per quod rem acquirimus (§. 5.). Differentia ergo acquisitionem originariam, inter et derivatiuam minime fuit ex *idea modi*, vt alii putant, sed potius ex *titulo*. Quid enim nobis dat modum acquirendi originarium et derivatiuum? nonne primum modum illa ratio seu titulus *quia est nullius iuris* et secundum modum illa ratio seu titulus, *quia est res nullius dominii*?

SCHOLI ON.

Primaeva bonorum communio est apud HVGONEM GROTIUM primum fere principium ex quo per multa enucleare fuit studiosus, ex eius itaque sententia est acquisitio originaria *prima acquisitio domini rei cuiusdam, primaeva sublata communione*, et qui ab eo, originarie qui acquisiuit, iterum acquirunt, hoc faciunt per *modum acquisitionis derivatiuum*.

§. 8.

OCCVPATIO ET TRADITIO.

Quid occupatio, quid traditio, hoc in §pho nobis est eruendum, et tunc ea in medium proferre volumus, potissimum



num ad modum quae spectant acquisitionis originarium. Distinguiamus necesse est occupationem in genere ab occupatione, in specie originaria quae vocatur. Occupatio in genere est simplex cogitatio (*ich nehme was*) In simplici autem cogitatione obseruabilia non latent; vterius definiri itaque nequit. Occupatio vero, originaria quae audit, est apprehensio rei nullius iuris cum animo eam sibi habendi. Nunc notio traditionis est eruenda, quae nihil aliud est, quam *ius suum de re quadam in alterum transferre.*

§. 9.

NVM NOTIO OCCVPATIONIS INVOLVAT
APPREHENSIONEM CORPORALEM.

Sub iudice lis est, num ad occupationem apprehensio corporalis sit necessaria nec ne? Sunt qui affirmant, sunt qui negant. *Grotius ille* se refert ad negantes. Ad occupationem enim inquit, apprehensio corporalis minime requiritur, satis nempe est eam rem omni respectu alio habere prius. Hanc suam ipsius sententiam *Vir ille* sequenti corroborat syllogismo. Quid quid habere volo, et physice et moraliter habere possum, id est *res* meum. Si itaque voluntatem meam de occupatione rei nullius ostendo, eam rem habere volo: ergo rem illam occupavi, ergo illa ad *res* meum pertinet, ergo ad occupationem apprehensio corporalis requiritur minime. Praecedentem syllogismum *Grotius ille* exemplo illustrat historico. *Andrienses* et *Calcidonenses* locorum ad habitationem idoneorum caussa solliciti, nonnulla *Traconum* domicilia invenerunt deserta, illa itaque occupare cupidissimi enarrantur.

Cal-

Calcidonenses telas in urbem misisse dicuntur, animum enim de occupatione declarandi gratia: Andrienses autem primo in cocurriffe traduntur. Nunc quaerit Grotius, quibus competit oppidum? Calcidonensibus responder; ratio est, quia apprehensione corporali non opus est ad occupationem. — Nostro autem iudicio, quod exiguum sentimus atque pusillum, corporalis omnino ad occupationem necesse est apprehensio, ex syllogismo enim *Grotiano* nihil aliud fluit, quam ius rei iacentis ergo competeat ea ex causa Calcidonensibus oppidum quia per immissionem telae oppidum factum est res in relatione, ad eos iacens, ergo habuerunt ius Andrienses excludenti ex iure iacentis, minime autem ex occupatione. Per ipsam praeterea occupationis notionem apprehensio corporalis necessaria nobis videtur: inuoluit ne enim eam vocabulum apprehensio? *ich nehme was* (§. praeced.). Ex nostra itaque sententia haec sunt occupationis requisita *primo* id, occupatione quod acquirere volumus, ut res nullius iuris, sit indubitatum; *deinde* declaratio voluntatis, de animo eam rem sibi habere propriam *et tandem*, ut cum hoc animo rem sibi habendi propriam coniuncta sit apprehensio c).

§. 10.

OCUPATIO EST MODVS ACQVIRENDI ORIGINARIVS
ET IVRE NATVRALI LICITVS
IVSTVSQVE.

Acquisitio rei nullius iuris dicitur originarie acquirere (§. 7.), et rei nullius iuris apprehensio, cum animo eam sibi habendi

c) Per III. Daries §. 462. Coral. I - II. I. N. et G.



habendi propriam, occupatio audit originaria (§. 8.). Superuacanea ergo erit probatio, occupationem esse modum acquirendi originarium. Vtrum vero sit *per ius naturae iustus seu licitus modus acquirendi*, euincere nostrum est. Quidquid enim acquirere volumus occupatione, id esse debet tale quod est nullius iuris (§. 8.); quod autem est res nullius iuris, id etiam non est in alicuius potestate; qui in nullius potestate quod est, acquirit, acquirit saluis officiis erga alios perfectis; qui acquirit saluis officiis erga alios, ille per acquisitionem neminem laedit; qui facto suo neminem laedit, iuste seu licite hoc facit: eum itaque qui occupatione acquirit, iuste ac licite per principia iuris naturalis acquirere, est indubitatum atque certissimum.

§. II.

TRADITIO ET MEDIATA ET IMMEDIATA.

Ius suum de sua re in alterum transferre, actus, hoc qui efficit, accipit nomen *traditionis* sensu latiori. Strictiori autem significatu est *traditio rei suae ipsius in alterius possessionem translatio*. Hanc translationem si inquirimus, duplex eius modus inuenitur. Obiectum enim traditionis ipsum in *res meum* ab altero transfertur vel vires huius obiecti seu rei tantum: prior *modus immediatae traditionis* nomen accipit; in posteriori autem casu est *traditio mediata*.

§. 12.

§. 12.

EST IVRIS NATVRALIS.

Ex notione traditionis fluit, illam esse iuris naturalis; quia tradita res, est nostra, de qua disponendi habemus facultatem.

§. 13.

OCCVPATIO BELLICA ET NATVRALITER.

IVSTA.

Nonnulla liceat nobis immediam proferre de occupatione bellica. *Occupatio igitur bellica*, est modus acquirendi tantum de re suo alterius, quantum reparatio damni postulat mihi ab eo illati. Basis itaque occupationis bellicae est laesio illata. Me enim qui laedit, me turbat in re meo, contra turbantem, nobis dat ius naturae medium turbantem repellendi; ergo fluit et ex hoc iustam licitamque iure naturali bellicam esse occupationem.

Vid. Magnif. et S.R. D. Quistorp. de bello punitiuo.

COROLLARIVM I.

Es de causa hic specialiter de occupatione bellica aliquid adduximus, quia neque ad traditionem, neque ad occupationem originariam est; nostro iudicio, referenda. 1) Non modo acquirendi per traditionem esse adscribendam ita probamus. *Occupatio bellica* praesupponit laesionem, laesio autem vim; vis autem regulariter vi repellitur, per hanc repulsionem vis damnum laesione alterius illatum reparamus. Vbi quis repellitur ibi inuitus repellitur; ergo reparatio damni fit inuito laedente, ergo non ex libera eius voluntate, quid autem est traditio §. 11. descripta sine libera voluntate? Ergo non pertinet ad traditionem occupatio bellica.

B

CO.

COROLLARIUM II.

Nunc demonstrare periclitamur et non esse speciem occupationis originariae. Occupatio originaria est rei nullius iuris animo sibi habendi apprehensio (§. 8.). Res autem occupatione bellica acquisita non est res nullius iuris, est enim *laedentis*; ergo —

§. 14.

TRANSITVS AD TRACTATIONEM.

Hoc haecenus de praecipuis modis acquirendi per ius naturale nempe *occupatione*, *traditione* et *occupatione bellica*. Facili negotio et harum inferiora eruenda essent, at ratio et tempus finem postulant *praecognoscendorum*. *Tractationem* itaque ipsam adgredimur, disquisitionem nempe quaestionis et in iure publico et in iure gentium foecundissimae num *Praescriptio modis acquirendi per ius naturale licitis sit annumerandae nec ne?*

CAPVT. II.

QVOD

PRAESCRIPTIONIS INDOLEM ET
ARGVMENTA EIVS VERITATEM IN
IVRE NATVRALI QVAE AFFIR-
MANT, CONTINET.

§. I.

QVOD PRAESCRIPTIO.

Non quia vult methodus, mathematica quae dicitur, aut Doctorum auctoritas rei pertractandae definitionem omnino esse praemittendam; sed quia hoc ipsa ratio possu-

postulat, placuit et nobis praescriptionis, hac in §pho evolueret definitionem. In genere *Praescriptio*, nihil aliud nostro iudicio esse potest quam *acquisitio iuris ob tempus praeterlapsum*. Hanc definitionem defendit, vsus loquendi per omnia inferiora praescriptionis. *Thomasius ille* describit ita: est acquisitio, inquit, domini per diu quietam et non interruptam possessionem facta d). Haec diu quieta et non interrupta possessio est illud tempus praeterlapsum, ob quod acquisitio iuris facta est; et sic per huius Iurisconsulti ac philosophi haud comparabilis enunciata, nostra se rata habet definitio.

§. 2.

QUID PER PRAESCRIPTIONEM ACQVIRERE.

Nuc quaeritur quid denotat *acquirere per praescriptionem*? Rem a nobis diuersam in rō nostrum transferre est notio rō acquirere (§. 3. praecognosc.) et titulus per rationem describitur illius facti vi cuius, rem a nobis diuersam in rō nostrum transferimus (§. 5. praecog.). Harum idearum combinatio cum notione praescriptionis, quid sibi velit per illam acquirere, demonstrat. Si itaque ratio ex tempore praeterlapso, seu ex diuturna et non interrupta possessione sumitur cur id quod antea, vt res a me diuersa erat, in potestatem meam transtuli denotat *acquirere per praescriptionem*.

§. 3.

d) in dissertat. de praescriptione Regal, ad iura subdit. non pertinet, §. 4.



§. 3.

QVID IUS, QVID NATURA.

Notione praescriptionis et $\tau\tilde{\epsilon}$ acquirere per illam, in praecedentibus formata, nostrum erit diiudicare atque eruere quaestionis illius significatum vtrum *praescriptio seu modus acquirendi per praescriptionem sit iuris naturalis*? Distincte et ab omni ambiguitate alieni cogitantis est, obseruabilia propositionis cuiusdam euellere atque enucleare. Prius igitur quaeritur quid *ius*, et tunc quid *ius naturae*; quam significatum quaestionis illius, num modus per praescriptionem acquirendi sit iuris naturalis, enarrare possumus. At, ne longi simus; ne in etimologicam significationem iuris a vocabulo graeco, *de ν* mutatione *J* in *i* et *ov* in *vs*, incidamus; ne omnes iuris significatus Doctores quos huic vocabulo tribuunt, enumeremus, satis pro scopo esse potest, in medium proferre vocabulum *ius* hic denotare *potestatem agendi moralem*. *Natura* teste *Perill. Davies*, sumitur pro rei essentia seu notione, pro statu rei ipsa naturitate constituto, et sic porro e). Sumatur hic *natura* pro rei notione.

§. 4.

QVID QVAESTIO SIBI VVLT NUM MODVS PER PRAE-
SCRIPTIONEM ACQUIRENDI SIT IURIS
NATVRA LIS.

Ex hoc patet: quaestionem illam an modus per praescriptionem, acquirendi sit iuris naturalis, sequentem habere significationem, *an diuturna ac interrupta possessio, mihi rationem dare possit, rem a me diuersam $\tau\tilde{\epsilon}$ meo annumerandi, si hoc per solam rei notionem considero*.

§. 5.

e) Cap. I. praecogn. I. N. et G. §. XI.



§. 5.

ARGVMENTA GROTIANA.

Vt lucide, vt clarior nostra euadat controuerfia, argu-
menta pro praefcriptione iure naturali licita, in medium
proferamus necesse est. *Grotius* ille magnus primus eius de-
fenfor inuenitur, cuius vestigiis inhaerent reliqui. — —
Grauis hic difficultas, enim inquit loc. cit. f) oritur de vsuca-
piendi iure. Namque id, quam lege ciuili fit introductum,
(tempus enim exsuapte natura vim nullam effectricem habet:
nihil enim fit a tempore, quamquam nil non fit in tempore),
locum habere non poreft, vt cenfer *Vafquinius*, inter duos po-
pulos liberos aut reges — — — porro dicens.
Atque id si admittimus, fequi viderur maximum in commo-
dum, vt controuerfia de regnis regnorumque, finibus nullo
vnquam tempore extinguantur: quod non tantum ad pertur-
bandos multorum animos et bella frenda pertinet, fed et
communi Gentium fenfui repugnat. — — Hisce ab illo
Vivo immortalis enunciatis, Gentium hac de re enarrat fenten-
tias; vt est in allegatis g).

§. 6.

f) §. I. Cap. IV. libr. II. de iure Belli et Pacis.

g) §. II. loc. cit. In facris litteris Iudic. XI. 26. *Jephthah* regi
Ammonitarum sibi vindicanti terras inter *Arnonem* et *Labo-
cum*, et ab Arabum desertis ad *Jordanum* fitas, obiicit trecento-
rum annorum possessionem, et ab eo quaerit, cur ipse eius-
que maiores tanto tempore cessauerint.

Lacones apud *Ifocratem*, tanquam certissimum et apud omnes
gentes confessum ponunt, possessiones publicas minus quam pri-
uatas,



PVEENDORFFIANA.

Antea liceat nobis et alia, praescriptionem quae defendunt, in lucem proferre argumenta; quam ad Grotium respondemus. Omnibus enim, quae nobis cognita atque percepta, pro praescriptione argumentis prolatis, contra haec omnia insurgere periclitamur. *Liber Baro de PVEENDORFF, de iur. natural. et gent. libr. 4. cap. 12. §. 5.* stat sententia, Grotiano iudicio vere simili. Sic, ni fallor se habet. Praescriptio nisi esset iuris naturalis confusiones dominorum euitrentur, et possessiones rerum immotae conferuerentur minime; variis enim limitibus et bellis essent obnoxiae.

THOMASIANA.

Thomasius supra laudatur, praescriptionem vult introductam esse iure civili, non tam derelictionis tacitae causa, quam negligentiae coercitionis gratia ut est loc. cit. h). *Legē 24. ff. quae in fraud. creditor. suam ipsius per verba, ius civile vigilantibus scriptum est*, probare studet sententiam: at iure Gentium *derelictionem tacitam* praescriptioni adscribit fundamento. Concludit ergo loco cit. Quum in gentium societate omnes

fint

uatas, multo tempore ita firmari, ut reuelli nequeant: quo iure repellunt eos, qui Messenam repetabant.

Isocrates (melius *Dionysius Halicarnassus* in iudiciis de *Isocrate*) ad *Philippum*; cum firmam stabilemque possessionem longa dies reddidisset — et tandem — *Historici*, ut *Tacitus* *annal. 6. cap. 51.* *Vetera* reposcere *vaniloquentiam* vocant — — —

O he! iam satis est allegando. — — —

h) §. 5. dissertat. de praescript. regal.

sint pares, nec quemquam hominum gentes agnoscant superiores, nulla ibi negligentiae coercitio locum habebit: sed *solus animus derelinquendi*, rei dominium ex certis iudiciis collatus praescriptioni iuris Gentium praebet fundamentum.

§. 7.

ARGUMENTA LEISERIANA.

Leiserus ille omnium Iureconsultorum facile princeps assidue strenueque pugnat pro praescriptione. Sequentia argumenta cum mouent affirmare, praescriptionem esse iuris naturalis. 1) *Summa enim inquit aequitas* loc. cit. i). Scilicet ei, qui re sua diutissime caruit, difficile esse non potest, ea porro carere atque eodem, quo huc vsusque vixit, modo et in posterum viuere; quam contra is, qui rem tenuit, nequeat illam sine grauissimo incommodo animique cruciatu perdere, et pauperior factus antiquas viuendi rationes mutare. 2) Deinde, qui iura sua per longum tempus nec inquisiuit, nec persequutus est, de reliquit ea profecto, et facto ipso in illorum alienationem consensit. 3) Tertium argumentum meum ex confusione et obscurate iurium arcesso. 4) Moueor porro inquit, exemplo Iephtae populiquae Hebraei, qui diuina auctoritate fulti in lite cum Amonitis ad praescriptionem prouocant Iudic. XI. 26.

§. 8.

i) Specim, CCCCLIV. medit. ad ff. libr. XLI. Tit. 3. de praes. in genere.



§. 8.

GRIPNERI ET HEINECCII.

Gripnerus et *Heineccius*, Doctores toto litterarum orbi haud ignotiores, vt et allegem scripta eorum praestantissima; minime quamuis praescriptionem modis acquirendi iure naturali licitis annumerant: sed tantummodo praescriptionem, quam Doctores *longissimi temporis*, vocant, nempe praescriptionem per saecula durantem, aut si mauis, praescriptionem *immemorialem* vi cuius possessio diuturna prioris plene planeque exstinxit memoriam.

§. 9.

SENTENTIA BERGIANA.

Illustris Dn. BERG, a *Cancellariis nostro Principi longe Clementissimo*, praescriptionem esse iuris naturalis itidem defendit k). *Praescriptionem Gentium pacto iusto niti debere*, placuit ei asserere. Sic se habet tota 32 Sphus. Praescriptio gentium est modus acquirendi res alterius naturalis, ergo per praescriptionem gentium transfertur id, quod nostrum est, in alterum; in solo autem pacto iusto ratio huius translationis sufficiens deprae-henditur: praescriptio itaque Gentium pacto iusto niti debet.

Haec dixisse sufficiat de argumentis affirmantium, nempe eorum praescriptionem, qui adscribunt modis acquirendi naturalibus: nunc ad eorum, pro viribus — refutationem.

CAPVT.

k) in *differtat. inaugral. eximia de diuersitat. praescript. iur. Gent. et iur. ciuil.* §. 31.

CAPVT. III.

AD
DEBILITANDVM QVOD SPECTAT
PRIORA ARGVMENTA.

§. 10.

RESPONDETUR AD GROTIVM.

Ex verbis illis *Grotianis*, §. 5. allegatis, nihil nisi prudentiae ratio, quae pro praescriptione militat, nostro iudicio, eruenda erit: minime autem ex principiis veris indubitatisque veritatem praescriptionis in iure naturali demonstravit Magnus ille Batauus. Hoc sequenti probamus syllogismo. Qui vult rem secundum ius naturae pertractare et illam rem ex notione rei ipsius non eruit, ille rem secundum iuris naturalis principia pertractauit minime; liceat nobis hoc de illo *Grotio* subsumere, ergo et concludere. Maior nostra propositio est ipsa iuris naturalis notio (§. 3.). Minoris itaque probatio nos incumbit. Infinitae essent inter Gentes controuersiae, inquit *Grotius*; illud malum tollendum, per praescriptionem tollitur: ergo praescriptio iuris naturalis esse debet. Hic tantummodo *Grotius* argumentatus est de *utilitate* seu quod *prudenter est*, secundum praescriptionem. Qui autem de *utilitate* rei sermonem facit, hanc rem in relatione ad alia, considerat; qui rem in relatione ad alia considerat, ille attendit ad ea quae accedunt, et quae rei per notionem non insunt; qui animo attendit ea quae accedunt et rei per notionem non

C

insunt;



infunt; ille illam rem non ex notione rei ipsius euoluit: *Grotius* itaque de vtilitate praescriptionis pertractans, illam praescriptionem seu modum acquirendi per praescriptionem non ex sua ipsius notione diiudicat; ergo *praescriptionem esse iuris naturalis demonstravit minime gentium*.

SCHOLIION.

Quamquam nostra demonstratio, contra *Grotii* sententiam iamiam directa est, et ad auctoritatem *Gentium*, in qua *Grotius* nisus, quid quid sit, respondere debemus. Videtur nostris obstare sententiis ludic. XI. 26. videtur tantummodo, at non est — Nonne enim est aliud an secundum ius naturae *praesumptionem iuris* possessio diuturna dare queat? et ne aliud an praescriptio secundum ius naturae *acquirendi ius efficiat*? Primus casus est indubitatissimus inuoluit enim bonae fidei possessionem, de qua infra. At in casu posteriori minime ex hoc prolato exemplo historico affirmatiue, ad datam quaestionem respondere possumus.

§. II.

AD PUFENDORFFIANA.

Paragraphus 6. nostrae dissertationis *Pufendorffii* in medium profert, de praescriptione sententiam. Veritas postulat iubetque dicere, totum huius publicistae alias longe longeque excellentissimi argumentum nihil nisi *petitiones esse principii*: elucet enim hoc ex sequenti syllogismo. Qui aliquid pro vero assumit, probatione quod tamen adhuc indiger, ille cadit in vitium logici quod vocant principii petitionem; atqui *Vir Perillus* tris quid pro vero assumit, quod tamen adhuc probatione indigit: cecidit ergo in vitium petitionis principii.

Maior

Maior verificatur per principia logices multo diuulgissima. Probetur itaque minor, et probamus — Dicit enim Pufendorffius; confusiones dominorum minime euitentur, possessiones rerum immotae non conseruarentur, sed variis limitibus et bellis essent obnoxiae, praescriptio nisi esset iuris naturalis. At hoc non probauit Vir Perillustris, et quo hoc potest? loco citato probationem inuenimus nullam; committit itaque principii petitionem. Minime minimeque consequentia praeterea ualeat praescriptio non est iuris naturalis, ergo confusiones dominorum non euitantur; ergo possessiones rerum non immotae conseruantur, ergo sunt perpetua bella. Harum consequentiarum falsitas luce clarior est quam probatione opus esset ulterius.

§. 12.

A D T H O M A S I A N A.

Ex praesumta derelictione defendit praescriptionem inter Gentes ille *Thomasius* (§. 6.) Consultissimus ICtus hanc praesumptam derelictionem ac probatam assumfit. *Grotius* pro eo illam probauit 1). Sequens enim, nisi me omnia fallunt, later in loc. cit. cogitatio. In collisione Praesumptionum *fortior* est praeferenda praesumptio; iam uero hic sunt duae praesum-
tiones

1) num. 4. §. 8. cap. IV. libr. II. de I. P. et P. Quodsi etiam deficerent ea quae iam diximus, tamen aduersus praesumptionem, qua quis sua seruare uelle creditur, validior est altera, quod creditur non esse quemquam eius, quod uult, longo tempore nullam plane, edere significationem idoneam.



tiones, 1) num quis habuerit animum derelinquendi? 2) an de re omiſſa nil ſciuerit? primam autem eſſe fortiorem ergo. — At, noſtro quidem iudicio Batauus ille doctiſſimus eruditiſſimusque hoc probare nequit. In contrariam nos abimus ſententiam; hoc enim, quod quis ſua de re nil plane ſciuerit, eſt *factum omiſſium* quod autem quis animum derelinquendi habuerit, eſt *factum commiſſium*. Facta omiſſia proprie non ſunt facta, eius praefumtio itaque prius aſſumenda eſt praefumtione facti commiſſiui. Quod proprie enim eſt factum eius praefumtionem et ipſa natura et communis Doctorum ſententia reſpuit, quia poſtulat nuda eius probatio, per acroama illud iuris, *facta non praefumuntur ſed ſunt probanda.*

SCHOLIUM.

At, conſeſſa ſit per ius naturale derelictio praefumta, dat autem illa nobis in diſtincte titulum acquirendi iure naturali iuſtum? neutquam — Vbi enim ex derelictione praefumta non diiudicandum eſt rem, eam ab cauſam quam acquiſiuimus, eſſe nullius domini et iuris; ibi in foro naturali nobis iuſtum acquisitionis titulum praefumta derelictio concedere nequit. Atqui hoc non cognoſci poteſt, ex praefumta derelictione rem eſſe, nullus iuris et domini, quia praefumtio non eſſe poteſt probatio: ergo praefumta derelictio nobis titulum iuſtum acquisitionis in foro naturali dare nequit. Hoc ſufficiat contra *Tbomaſum*.

§. 13.

AD LEISERIANAM.

Ad Imum. Veritatis amore adſtricti et contra ſententiam inſurgere debemus Leiſerianam. In contrarium aſſerta (§. 7.) Pyrae illius Iureconſultorum minime gentium fundata eſſe, ipſum

ipsum Leiferum perlustrans, inuenturus. At! qualis consequentia, quia ille qui re sua diutissime caruerit, ei itaque non difficile esse possit, porro ea carere; ergo possessor rei, qua caruit prior dominus, non debet illam rem priori suo restituere possessori? — Vera enim si esset consequentia, et in iure ciuili nullus rem suam, quam praescriptione 30 annorum amiseret, repetere potuit ab eo, qui illam rem tantummodo possedit 29 annorum, dixerit enim qui tam diu caruit, et illa porro carere potest atque eodem, quo huc vsque vixit modo et in posterum viuere potest.

Ad Illud. Hocce (§. 7.) argumentum nititur in derelictione. Et Grotius Thomafiusque ex derelictione praesumpta defenderunt in iure naturali praescriptionem. Quo autem Marte est in §pho 12. quae igitur refutatio et contra hocce argumentum locum sibi vindicet.

Ad Illud. Ius obscurum, qua obscurum nil valet, sed illustratione interpretationeque indiget. Ergo priori domino possessor rem non reddit quia praescripta est, sed quia prior dominus certum indubitatumque, ritulum demonstrare nequit. Ergo et hoc argumentum, nullum effectum habere potest pro praescriptione.

Ad IVtum. Hoc argumentum historia illustri dissentienti supeditauit: Grotius loc. supr. cit. hoc etiam in medium protulit et nostra responsio, contra Grotium periclitata est, (Schol. §. 10.) quae et hic contra ICtum Helmstädiensem sufficiat.

C 3

§. 14.



§. 14.

AD GRIPNERVM ET HEINECCIVM.

Respondendo venimus ad *Gripnerum Heinecciumque* et illi Praestantissimi viri pro praescriptione militant (§. 8.). Longissimi temporis praescriptionem et praescriptionem immemoriam iuris naturalis esse affirmant. Per longissimam tempus Doctores volunt diurnam possessionem: et quid est diurna possessio, seu longissimum tempus? Centum, respondent, annorum spatium. Cur non centum magis? — Vbi itaque non ex notione fluit, quid sit diurna possessio seu longissimum tempus, ibi illa diurna possessio non esse potest basis fundamentumque praescriptionis per ius naturale. Atqui quid sit longissimum tempus seu possessio diurna, non ex notione fluit: ergo illa non esse potest fundamentum, praescriptionis iure naturali licitae iustaeque. At, est ne praescriptio immemorialis, iuris naturalis, ut potissimum *Heineccius* putat? Notionem huius praescriptionis formare volumus et ex notione hanc rem diiudicare. Praescriptio immemorialis est illa, ubi per vetustatem temporis nude impossibile est, dominum, scire priorem seu ius alicui quod competeat. Res autem, cuius dominium et ius nullo modo constar est *res nullius*; qui autem rem nullius acquirit, facit hoc per modum acquisitionis originarium (§. 7. praecog.); qui ergo acquirit rem cuius dominium et ius impossibile constare potest, non hoc praescriptione immemoriali acquirit sed originarie. Ergo et hoc ex fundamento praescriptio immemorialis in iure naturali locum habet minime.

Vir illustris *Dn. Berg*, ICrus Mecklenburgicus excellentissimus, per principia *Kobleriana* putat nullam alienationem rei nostri fieri posse nisi pacto iusto; concludit ergo. Praescriptio est modus acquirendi res alterius, vbi est acquisitio vnius parte ibi est alienatio alterius parte: nulla autem alienatio, nisi pacto iusto fieri potest, ergo et praescriptio niti debet pacto iusto, quia per praescriptionem res alterius alienantur; pactum autem iustum est modus acquirendi naturalis, ergo et praescriptio. Liceat nobis negare, *omnem rei nostri alienationem fieri debere pacto iusto*. Rapiatur nostrum a latronibus vbi hic est pactum? deficit enim libera voluntas, attamen hic est alienatio; derelictio rei nostrae cum animo derelinquendi etiam non inuoluit pactum, perinde enim nobis est, cedat, cui vult, occupanti attamen adest alienatio; occupatio bellica etiam inuoluit alienationem minime autem pactum, et quae reliqua. Nos quoque *Vir illustris* non persuasos habet *praescriptionem niti pacto iusto*. Si enim verum est omne pactum requirit consensum, sequitur quod praescriptio non esse possit in solo pacto fundata: verum autem est prius ergo et posterius. Necessitatem in pacto consensus Illustris dissentiens ipse (§. 33. dissert. inaug.) affirmavit, consequentiae veritas itaque tantummodo est inuestiganda. Contradictio nobis videtur esse, si quis affirmat priorem dominum rei, per praescriptionem quam acquisiuimus consentisse in tale factum, e. g. in praescriptionem, immemorabilem quam vocant, vbi hic constare potest de consensu domini prioris? Satis fortasse est consensus praesumptus dissentienti



cienti doctissimo in praescriptione — minime hoc credo! ranti enim Viro ignorum esse nequit *consensum praesumptum in iure naturali esse non ens* m). Tantum in respondendo ad dissentium argumenta; nunc ex principiis veris indubitatique demonstrare conemur praescriptionem non esse iuris naturalis, sed mere iuris civilis.

C A P V T. IV.
DÉMONSTRATIONEM QVOD EXIBET
ACQUISITIONEM OPE PRAESCRIPTIONIS
MINIME ESSE IVRIS NATVRALIS
SED MERE IVRIS CIVILIS.

§. 16.

PRAESCRIPTIONEM IN VOLVERE POSSESSIONEM.

Construere volumus schema illius meditationis, nostrae sententiae probatio atque veritas ex quo fluunt. Omnem acquisitionem inuolueri regulariter possessionem, hoc qui neget aut in dubium vocare audeat, prorsus inuenimus neminem. Praescriptio est acquisitio; inuoluat itaque possessionem necesse esse indicamus. Hisce praemissis sequenti modo demonstrare liceat.

§. 17.

SCHEMA MEDITATIONIS.

Ponamus possessionem A. Hoc A vel possiderit bona fide vel mala fide (§. 17.) Si prius ergo possessori, nunc A qui possidet

m) Perill, Daries Coroll. I. II, §. 401, system. de iure natur, et gentium.



possidet prior huius A dominus sciens esse potuit vel non (§. 22)
Si prius ergo habet prioris possessoris consensum (§. 19.) vel
non (§. 21.). Habeat consensum, ergo prior dominus illum
declaravit, vel agendo (§. 19.) vel omittendo (§. 20.). Hoc
schema ope *Dariefio* factum per singula sui ipsius, perlustrare
volumus membra; tunc per se clara erit falsitas per ius natu-
rale *falsitas* inquam *praescriptionis*.


§. 18.

POSSIDETVR MALA FIDE.

Diximus in Schemate rem possidere vel bona vel mala
fide. Hanc si inuoluat possessionem praescriptio, et illicita est
secundum ius *Iustinianicum*. Quidquid enim inuoluit iniquum per
se tale iure minime tuetur per Iustiniano; possessio malae fidei
inuoluit iniquum per se tale: minime ergo tuetur Iustinianum.
Ambarum propositio et maioris et minoris superflua esset
probatio, quia ipsa pro eis militat notio. Quae quum ita sint,
praescriptio, possessionem malae fidei quae inuoluit, ex eodem
fundamento, iniquitate enim quia nisi, minime iuris natura-
lis esse potest.

D

§. 19.



§. 19.

POSSIDET BONA FIDE ET HABET CONSENSVM
DECLARATVM A PRIORI DOMINO

AGENDO.

At, sit possessor in bona fide ergo concludimus (§. 17.) priorem dominum scire potuit, si scire eum potuit ille prior dominus consensum ei declaravit, si consensum declaravit, quaeritur quomodo? duplici modo hoc fieri potest 1) *agendo*. Si *agendo* prior dominus ei declaravit consensum, tunc possessor titulum acquisitionis *ex pacto* habeat, evidentissimum est: ergo et ex hoc schematis membro praescriptionem non esse iuris naturalis, perlucide apparet.

§. 20.

OMITTEENDO.

Dixerit autem quispiam: *omittendo* prior dominus possessori A suum declaravit consensum. Nisi nos fallit animus, latet in hoc consensus praesumptus, pergamus! Consentire nihil aliud quam *idem altero velle*; alterum itaque consentire quomodo affirmare possumus, nihil nisi adest ex quo consensus apparet, nihil autem adest (per notionem consensus praesumpti n), ergo affirmare non possumus alterum consensisse; ergo *omittendo* consensum suum, quia possessor non habet ex quo consensus declaratio constet, prior dominus possessori A declarare non potuit; ergo ex hoc iterum praescriptio in iure naturali locum sibi non vindicat,

CO.

n) Perill, Daries §. 401. I. N. et G.

COROLLARIUM.

Consensum praesumptum diuidunt Doctores in *factum* et *probabilem* factus per se nullum effectum iure naturali habet, at habet probabilis? habet, minime autem est titulus acquisitionis. Ex circumstantiis probabili ratione scire alterum consensisse dicitur *consensus probabilis*. Quidquid autem probabiliter verum, id tantummodo verum est non *per se*, sed *per ea quae accedunt*, accessu itaque si desunt, falsum esse potest: patet ergo ex hoc quod non semper verum alterum actu consensisse, quia nobis est probabile. Consensus ergo probabilis *improprie* dicitur consensus teste *Dariesha* o). Quomodo porro ex signis *omissis* ut ita dicam, seu factis *omissis* probabili ratione concludendum est alterum, hoc vel illud voluisse quia nihil adest et per hypothesein adeste potuit, ex quo hoc cognoscitur et cognosci potest.

SCHOLIUM.

Sunt tantorum nominum viri aliam consensus praesumpti qui exhibent definitionem ex sola enim consentiendi aequitate consentientisque utilitate huncce colligunt consensus. Illustrare hoc volunt Doctores illi per exemplum; amicus amici sui ipsius absentis bona ex flammaram defestatione eripiens, magnum sibi ipsi intulit damnum, nonne amicus absens ei id quod inter est praestare debet? debet, respondent per utile enim ei fuit, quod ex flammaram faucibus sua ipsius sublata sunt bona, ergo praesumitur eius consensus, ergo ut ad damnum resarciendum teneatur necesse est. Ut pace tantorum virorum dixerimus. Amicus absens non ex consensu praesumpto sed ex regula illa, et iure ciuili et iure naturali valida; *Nemo locupletior fieri debet damno alterius* tenendus esse, nobis omnino videtur.

§. 21.

o) Coroll. I, II. §. 401. l. c. et Thomafius *instit. iurispr. dio. libr. II. cap. VII. §. 24* — 32.



§. 21.

NON HABET POSSESSOR DOMINI PRIORIS
CONSENSVM.

At, non consentit prior dominus in acquisitionem, ergo hoc in casu sequentes tantummodo sunt possibiles modi: ergo acquirit A *inuito*, priori domino vel eo *in scio*. Si posterius priori domino A reddere debet, alius possidet *mala fide*, quia non habet consensum prioris domini de sua acquisitione. Si autem prius, ergo prior possessor, eum qui nunc A possidet *laedit* vel *non*: in priori casu possidet per modum occupationis bellicae (§. 13. praecogn.), ergo non ex praescriptione: fingamus casum posteriorem, ille casus cogitari nequit, moraliter eum esse impossibilem luce est clarius.

§. 22.

POSSESSOR A PRIOREM DOMINVM COGNOSCERE
NEQVIT.

Vt ascendamus in Schemate nostrae meditationis. Diximus possessorem A cognoscere *potuit*, priorem dominum vel non. Primi casus inferiora sunt a nobis percogitata: reliquum est tantummodo illud membrum schematis, quod possessor priorem dominum cognoscere non potuerit. Et sub hoc casu praescriptionem, iure naturali haud sibi locum rueri posse ita delineamus. Qui rem acquirit de qua nullum ius nullumque constat dominium, atque constare potest, ille illam acquirit originarie (§. 7. praecog.); atqui possessori A prior dominus illius



lius A non constat et non constare potuit (per hypothef.), ergo possessor A acquisiuit originarie. Qui originarie acquisiuit id est, qui acquisiuit quia res pro re nullius habetur, non praescriptione acquisiuit, id est non acquirit ex diurna possessione; atqui possessor A acquisiuit hoc in casu originarie, cognoscere enim non potuit priorem dominum; ergo non per modum praescriptionis. Ex tota ergo nostra demonstratione pro- no fuit alio, praescriptionem in iure naturali locum sibi vindicare posse minime.

C A P V T. V.

DE

EFFECTIBVS PRAESCRIPTIONIS, DE VSV HVIVS DOCTRINAE

§. 23.

NUM HABET PRAESCRIPTIO IVRE NATVRALI
EFFECTVM.

Opere pretium erit disquirere, num praescriptio iure naturali nullos quoque habeat, effectus quum dare nobis nequeat titulum acquisitionis. Habet omnino et tantum enarrare atque euoluere hos volumus, quantum permit- rit ratio ne spatium nostrae, quidquid sit, dissertationis exce- damus.

D 3

§. 24.



§. 24. non est in iure non A. unil
 I.) BONAE FIDEI POSSESSIO.

Potissimum, ut est in praecedentibus, Doctores praescriptionem in iure naturali ex praesumpta derelictione defendunt, at, haec praesumpta derelictio nobis tantummodo *dat bonae fidei possessionem* tam diu usque dum prior dominus rem suam ipsius repetit, ex hoc apparet effectus praescriptionis in iure naturali nempe bonae fidei possessio.

§. 25.

2.) POSSESSORI NON INCUMBIT PROBATIO QUOD
 NEMPE RES SIT SUA IPSIVS.

Porro si prior dominus seu eius successores, rem reperere volunt tunc *his*, minime autem possidenti incumbit probatio. Hoc principium et iure naturali esse validum ita probare liceat. Quidquid probabile illud pro vero assumitur donec probetur contrarium inepte igitur et contra sanam rationem esset, si ab illo qui bona fide possidet probationem iustae possessionis suae ipsius quis exigere veller, quia pro eo, bonae fidei possessionis causa, iusti militat probabilitas.

§. 26.

DE VSV HVIVS DOCTRINAE IN IVRE PVBLICO
 NEMPE INTER SUPERIOREM ET
 SVEDITOS.

In fine nostrae dissertationis de usu disquisitionis an praescriptio sit iuris naturalis, nec ne quidquid sit, in medium proferat.

feramus. Fingamus sequentem casum illustrem ex iure nimirum publico; subditos ad regalia quod spectat, habuisse et habere in diuturna non interruptaque possessione, quaeritur an regalia per hanc praescriptionem acquirere possunt? respondemus minime — cur? quia praescriptio non est iuris naturalis (§. 18. 19. 20. 21. 22.) Quum itaque praescriptio non iuris naturalis est; subditi ad eam contra principem prouocare nequeunt p).

COROLLARIUM.

Dixerit quispiam: praescriptio est iuris civilis, si itaque per ius civile teneatur princeps — ius civile est ius positium, et positum conditumque est a legislatore civium suorum, ipsius causa, pacta eum inter et subditos nisi principem obligant, quae tamen non praesumenda sed probanda.

INTER GENTES IPSAS.

Quidquid non est iuris naturalis, id et non valet inter gentes, (per ius gentium absolutum consideratum); atqui praescriptio non est iuris naturalis (§. 18-22.), ergo non valet inter Gentes. Hocce fundamento nisi FRIDERICVS Borufforum ille rex, ut inter alios Illustrium casus, hoc tantummodo proferam, hoc fundamento inquam, nisi repetiit a Gloriosissima Imperatrice THERESIA Illa Magna nonnullas ducatus Silesiac

p) Thomasius de praescriptione regalium contra principem nulla.



laesiae partes Grosiaegerndorff et quae sunt reliqua. *Celssimo*
regioque Reclamanti praescriptio obiiciebatur. Ad FRIDERICVS de-
 monstravit probavitque *hanc non esse titulum acquisitionis inter*
Gentes.

§. 28.

CONCLUSIO.

Tantum — Hoc fuit nostrum de hoc illustri et in iure
 publico et in iure Gentium controuersia iudicium. Quam vel-
 lem pro grauitate dignitateque et a nobis pertractata esset ma-
 teria! Frerus tamen sum beneuolentia lectorum atque huma-
 nitate: nihil itaque mihi reliquum, quam vt gratias Deo O-
 primo Maximo per soluam ardentissimas, deuotissimas. No-
 stris enim adfuit Benignissimus in celsitudine Parens conati-
 bus. Succurrat, humillime praecamur, succurrat in posterum
 nostro labori: tunc robur virilis, nostra euadere possit
 imbecillitas. —




ULB Halle
005 372 011

3







1764,1 5

DISQVISITIO QVAESTIONIS
NUM PRAESCRIPTIO SIT
IVRIS
NATVRALIS VEL GENTIVM
NEC NE,
SED MERE CIVILIS?

QVAM
DISSERTATIONIS INAVGVRALIS
LOCO, EX INDVLTV
ILLVSTRIS IVRIS CONSVLTORVM ORDINIS,
PRAESIDE
VIRO GENEROSISSIMO ATQVE CONSVLTISSIMO
DOMINO
SIEGFRIED CAESO AB AEMINGA
I. V. D. ET PROFESSORE ORDIN. REG. CONSIST. DIRECT.
FACVLT. IVR. SENIORE, ET H. T. DECANO
PATRONO ATQVE FAVTORE SVO SVMMOPERE
DEVENERANDO
PRO LICENTIA
SVMMOS IN VTROQVE IVRE CAPESSENDI HONORES
DIE XXVI. M. OCTOBR. MDCCLXIII.
IN AVDITORIO MAIORI
PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTET
IACOBVS FRIDERICVS RÖNNBERG
PARCHIMO MEGAPOLITANVS.

GRYPHISWALDIAE
LITTERIS A. F. RÖSE.